

Polde Oblak:

BEL DAN JE BIL — ILLE DIES NITUIT

In mente sponsa ficta tum fui tua,
Cum tacitis in agris ver floridum maturuit;
Carens recessu ut cerva contremens eram.
Ille dies nituit, coelo meabant lucido
Mutae catervae nubium supra arbores,
Flamine multivago quam obducta vela si forent.
Nos implicati in floribus cupide sumus
Atque querella tacens nos inter ardescens erat,
Tunc tu dedisti mi quietem, vitae tibi
Lumen ego tribui; tum in te est homo mi cognitus.
Tristis fleo nunc, absque me quod tu fugis,
Quod via iam tua, scis, amoris exerraverat.
Prae te vorago mundus est ac profluens.
Inde per ora mea pulvis meavit saeculi.

Janez Menart:

PASTORALA — CARMEN PASTORALE

Coelo luna bicornis it,
Quam circum radiant lucida sidera;
It errans per agrum pecus
Praeceditque aries lanigerum gregem.

Nocturnus properat levis
Rivus fulgidus in lumine lunulae;
Marcescens peregre fugit
In rivo folium fluctibus incitis.

Igo Gruden:

TOŽBA — QUERELLA

Cur est tristis amor meus dolensque?
Nempe memet amas, amaris a me;
Cum vero „Tua sum!“ mihi susurras,
Cur tibi lacrimis rigantur ora?

Solanti „Melius iam erit, puella!“
Cur haec vox aliena mi videtur?
Floridum meus est amor viretum,
Cornices super hoc volant sinistrae.

Ljubljana,

Vertit: S. Kopriva.